

merito publicae dispositiones, ad hujusmodi Contributionem pro Fundo Domestico praestandam adigendo, una aequalis repartitio ordinanda esset.

In his igitur consistit Clementissimae nostrae Dominae Benignissima Intentio. Ego sane tenerrimo cordis affectu cupivissem postulata Praetitulatarum D. D. Vestrarum, quae ex Conferentia sua mihi significarunt, ad desideratum effectum perducere, quemadmodum etiam partibus non defui, omnem possibilem operam et conatum eatenus adhibere, defectumque virium et facultatum Inclyti hujus Regni vivaciter demonstrare. Et Sua Majestas etiam Sacratissima, ex materno suo, quo erga Inclytum hoc Regnum fertur affectu, eatenus clementer inclinata fuisset, si praesentes rerum circumstantiae, ubi numerus Inimicorum Ejusdem nimium quantum accrevit, ac ob id extremas vires suas ad Status sui Militaris conservationem conferre necesse habet, aliud pro nunc non svaderent. Hinc confidit Sua Majestas Caesareo Regia, quemadmodum et Ego firmissime persvadeor, quod Praetitulatae D. D. Vestrae, haec omnia in proxima Earundem Generali Congregatione in peculiarem Considerationem summere, et consecutionem Fundi, qui pro Instructione et intertentione saepememoratae regulandae Militiae Banalis requireretur, medio Justae et proportionatae Repartitionis, pro Fundo Domestico taliter requisitae Quotae, cum conjunctione Taxalistarum, Praedialium Ignobilium (cum in circumstantiis similibus Praerogativa Nobilitaris semper in salvo permaneat), non absimiliter Inquilinorum Eorum, qui sub titulo servitorum Dominalium hucusque a praefata Contributione immunes fuerunt, et aliorum hoc modo conditionatorum, et per praetitulatas D. D. Vestras praevio modo relevatorum Hominum, omnem conatum et possibilem operam adhibere ac eo dirigere non intermittent, qualiter saepefata Regulatio Confiniaria, absque Concursu aliunde exhausti Aerarii Caesareo Regii, in effectum deduci valeat, sicuti spe firma lactor, quod si modo dicta, et a proportionem ac aequalitate exigenda praestanda, conjunctim accipiantur, eoque aconomia illa, quae successive in Confiniis aliunde per se exurgere poterit, necessarius Fundus, absque novo tamen aggravio Contribuentis Plebis, quod principaliter et impense Praetitulatis D. D. Vestris recomendo, facillime adinveniri et erui poterit.

Super quibus, dum uberiores Praetitulatarum D. D. Vestrarum relationem praestolor, una de Earundem in augmentum altissimi Servitii Caesareo-Regii directo zelo, et in Patriam amore, ita persvasus sum, ut hac in parte ultiores reflexiones facere penitus supervacaneum esse existimem. Unice adjungendum adhuc habeo pro Coronide, qualiter Sua Majestas Caesareo-Regia erga meam humillimam Instantiam clementissime resolvere dignata sit, ut pro neo-erigendis Regiminibus Sclopi, Arma Broja seu Bajonnet, et nova Tormenta ex armamentariis suis, tempore Belli autem etiam Tentoria, reliquaque Bellica requisita et Intertentio, si videlicet praefatam Militiam extra Regnum progredi contingerit, ab aerario suo suppeditentur. Atque his jugi cum existimatione permaneo Praetitulatarum D. D. Vestrarum, Schön-Brun, Sexta Septembris 1749. Obligatissimus paratissimus Servus et Amicus.

Carolus Comes Battyan. m. p.